

Caveat sibi æger ab aëre frigido aut nimis calido corpus in quiete fervetur, somnus, si non sponte fiat leni anodyno procurandus: si vulnus in intestinis tenuibus, & alvus non respondeat, clysmate emolliente solvi potest, in crassorum vero vulneribus a clysteribus abstinendum. Fugiat animi pathemata, imprimis iram & nimium moerorem, sed animus ad tranquillitatem sit dispositus.

Corollaria.

- I. Cerebri vulnera non sunt absolute lethalia.
- II. Fragmentum cranii cerebro impressum, convulsiones, sopores, deliria, paralyfes, apoplexias, febres & mortem producit.
- III. Quæ quoque concussio capitis valida potest.
- IV. Angusta cranii fissura periculosior ampla.
- V. Locus in cranio læsus noscitur ex unius lateris paralyfi alterius convulsione.
- VI. Trepanatio in capitis concussionibus aut vulneribus larga venæsectione & purgatione repetita sæpe præcavetur.
- VII. Trepanatio in futura, si vitari potest, fieri non debet.
- VIII. Hæc sæpe fieri debet, licet locus læsus non sciatur.
- IX. Aures in trepanationis operatione obturare, ridiculum.
- X. Foramen per trepanum factum ex dura matre repletur sed nunquam ossea substantia fit.
- XI. Incisio membranarum cerebri non lethalis.
- XII. Os cranii natura est album.